



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

Sanctissimis PP. Wilfrido, Egberro, Willibrordo, Swiberto, Bonifacio,  
Adelberto ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

Sanctissimis PP. Wilfrido, Egberto, Wil-  
libordo, Swiberto, Bonifacio, Adel-  
berto cæterisque eorum in Frisia mes-  
quondam cooperatoribus, nunc in  
cælesti curiâ cum Christo sempiter-  
nùm regnantibus.



Daram vestram (Beatissi-  
mi Patres, Ciues Sanctis-  
imi & Domestici Dei) ve-  
nio sanctitati vestræ de-  
positurus exile munuscu-  
lum. Ita solent Diuis Au-  
gustis salutem dicturi, ita Augustis Per-  
farum Regibus se exhibituri, Ita magnis  
Diuis vota nuncupaturi Charistion ali-  
quod repræsentare. Exile munusculum est  
quod offerimus: exile, inquam, si ad ve-  
stras dignitates aspiciamus: placiturū tamē  
spero, tum ex vestra benignitate, qua sole-  
tis

tis mortales amplecti ; tum ex materia in  
qua vestra acta , vestra heroica gesta cele-  
brantur, per quæ acta nunc dulciter quieti  
triumphatis amicti stolis albis & palmæ  
victoriarum in manibus vestris.

Vos estis de quibus Isaias Euangeli-  
cus Propheta admirabundus proclamat :  
*Qui sunt hi qui ut nubes volant & quasi  
Columba ad fenestras suas* ; Inter hos vos  
fuistis prædicatores & Apostoli nostri.  
Nubes è terreno limo à sole & Cælesti vir-  
tute in altum extolluntur ; ita & vos è cœ-  
noso mundi gurgite ad cælestem vitam es-  
tis in sublime eleuati , mundo, & quæ in eo  
sunt, relictis, Eremis & claustris in Anglia &  
Hibernia vos inclusistis ut concultatâ ter-  
râ conuersatio vestra esset in Cælis. Nu-  
bes roridæ sunt & emittunt terræ pluuiam  
câque terram irrigant & fœcundam effici-  
unt : ita vos superno S. Spiritus imbre ro-  
refacti

refacti, eius adipe & pinguedine repleti  
pluuiam animabus gentilium, quæ erant  
coram Deo terra sine aqua, impluistis eâ-  
que animas bonorum operum fertiles ef-  
fecisti. Datum fuit vobis quod optabat  
Moyses cum esset populo duræ ceruicis  
prædicaturus : *concrescat in pluuiam do-  
ctrina mea, fluat ut ros eloquium meum.*  
Concreuit in pluuiam doctrina vestra; non  
fuit similis nubibus quæ præ leuitate à  
ventis per jnanes auras disperguntur, ita ut  
nullum hinc fructum arida terra accipiat,  
sed ut instar pluviæ ex concretione tenuis  
nubi coalescentis, ac tum suo pondere in  
terram descendentis etiam ipsa quasi con-  
crescat, ut scilicet suo pōdre in audiētum  
decidat corda; atque ut ros suauiter dif-  
fluit è cælo in terram eamque humectan-  
do fœcundat, ita & sermo vester dulciter  
*ex ore vestro in audientium dilapsus est pe-*

ctora

Etora atque in ijs multos protulit fructus.  
Nubes à sole calorem hauriunt, ita & vos à  
Deo Sole iustitiæ calorem recepistis, spiri-  
tualem ignem quem Christus venit mitte-  
re in terram, quo imbuti confidenter & in-  
trepide nihil minis, nihil à periculis terri-  
ti, feris & indomitis barbaris vexillum S.  
Crucis intulisti ad pœnitentiam, Crucem  
Christi ferendam induxisti. Recte Gre-  
gorius ille magnus vester Archiapistolus  
ait:

*Prædicatores sancti nubes appellati sunt:  
quia verbis pluunt, miraculis coruscant.  
Qui volare quoque ut nubes dicuntur: quia  
in terra viuentes, extraterram fuit omne  
quod egerunt. Vnde & per quandam nubem  
dicitur: in carne enim ambulantes, non se-  
cundum carnem militamus. Priores enim  
patres coniugij cœtebantur, filios procrea-  
bant, substantias possidebant, curis rei fa-  
miliaris intendebant; istos autem prophetia*

*iam*

iam spiritu praividens substantias dese rere,  
nihil in terra querere, nihil possidere, non  
eos vel homines per terram ambulantes, sed  
nubes volantes nominat. Volant enim qui  
terram quasi non tangunt, quia in ipsam il  
appetunt. Qui & ad fenestras suas quasi Co  
lumba sunt, qui a pro mansuetudinis sua spi  
ritu in hoc mundo per oculos nil concupis  
cunt.

Impleuistis & ad mensuram plenam Impleuistis illud  
quod Trismegistus ille Apostolus Paulus Timotheo filio  
suo & in illo Præsulibus præsertim Ecclesiæ : *labora ut*  
*bonus miles Christi.* Laborasti ut strenui Christi milites ;  
primò, ut fidissimi & optimi Christi Corpora vestra rati  
oni subdendo, Ieiunijs, vigilijs, disciplinis castigando  
& in seruitutem redigendo, concupiscentias omnes re  
frænando, totum veterem hominem supplantando, auscul  
tantes ad illud eiusdem Pauli : *obsecro vos ut exhibeatis*  
*Corpora vestra hostiam viuentem, Sanctam, Deo*  
*placentem, rationabile obsequium vestrum.* Secundò, la  
borasti in reformandis & dirigendis animarum vestra  
rum interioribus, ita ut acies vestra nusquam diuergat nisi  
pure in solum Deum dicentes cum Davide : *Quid mihi est*  
*in cælo? à te quid volui super terram?* Denique omnium  
virtutum

virtutum panoplia tamquam fortissimi athletæ instructi,  
induti virtute ex alto pugnastis, vicistis, contra te terrima  
infernalia monstra quæ plurimis sæculis in Frisia tyrannicūm  
Dominium exercebant, id est cæcorum gentilium  
idola, ea destruendo, eorum lycos, aras, fana profana e-  
uertendo: iniueteratas tanti temporis superstitiones dæ-  
moniacas è stultorum gentilium cordibus extirpando,  
mille & mille animas è faucibus Orci eripiendo, mille  
& mille aberrantes oues in ouile Christi reducendo. In  
de vobis hymni victoriales. Legimus in Aureliano cum  
tribunus legionis sextæ Gallicanæ Franc. irruentes, qui va-  
gabantur per totam Galliam, sic afflixisset, ut trecentos ex  
his captos, septingentis interemptis, sub corona vendi-  
derit, inde de eo, ad summam ipsius laudem, factam es-  
se Cantilenam: *mille Francos, mille Sarmatas semel occi-  
dimus, mille, mille, mille, mille Persas quærimus.* Quam  
gloriosiores vestræ pugnæ, vestræ victorix! Quam cha-  
riores, cariores! Quam iustius illud Epinicium cæliti-  
bus omnibus iucundum occinatur: *Mille subditos, mille  
animas ad vitam reuocauimus: mille, mille, mille, mille,*  
*mille, mille errantes oues quærimus.* Hæc heroica ves-  
tra facta, hæc bella bellata etiamnum celebrat Frisia: in-  
stituta vestra venerantur fideles Frisij, gloria vestra, coro-  
na vestra. nos exigui aliqua ostendimus, & ostendimus  
tantum, ac quantum possumus illustrare conamur. Nam  
ijs pro debito celebrandis nec denæ Iliades sufficerent.

*Maiores maiora, sicut mihi parua locuto  
Sufficit, ut vester inde resultet honor.*

Hæc qualiacunque quantulacumque vobis dicamus,  
offerimus. Benigno vultu, sereno vestro suscipite. Contra  
æmulatorum venenata spicula, contra liuidos inuidorum  
& Zoilorum morsus defendite. multa in terra peregrina-  
tionis vestræ apud Deum Sabaoth valuistis, longe plu-  
ra iam in termino positi eique coniunctissimi, cum quo  
modo regnatis & sine fine regnabitis.

*Humillimus vester Cliens*

*J. WILLIBORDVS BOSSCHAERTS.*

**FACULTAS**